VIRIDARIUM SIVE ALLEGORICA VIRTUTUM EFFIGIES

Angelo Michelotto


Digitized by Google

103
12
Sd.

VIRIDARIUM

SIVE

ALLEGORICA VIRTUTUM

EFFIGIES



PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXXVII.

Digitized by Google

. . . . Primo avulso non deficit alter
Aureus.

Virg. Aen. lib. VI. v. 143.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ATQUE REVERENDISSIMO

JACOBO MONICO

EX EPISCOPALI CENETENSI

AD

PATRIARCHALEM VENETIARUM SEDEM

EVECTO

ANGELUS MICHIELOTTO

F.

Ne mireris, praeclarissime Antistes, me rudem et ignotum hominem in ruris latebris delitescentem tot publicis laetitiae signis in Tui obsequium ac laudem effusis aliquid addere voluisse. Scio equidem de iis, quae Te propius attingunt, digne aliquid sciteque dicere nullius ingenii esse, nisi summi; ideoque opus

Digitized by Google

112

meis viribus valde majus. Quamvis autem ea me deficiat dicendi vis, quae tuae sit dignitati par, meisque votis respondeat, nihilo tamen secius in tanto Tui honore, in tanta bonorum omnium gratulatione, tantoque venetae Civitatis gaudio nolo officio deesse meo; Tibique tantis ausibus impar videri malo, quam nullus. Is enim ego homo sum, qui multis nominibus se Tibi maxime obstrictum fatetur, quique proinde Te summa observantia colit, Tuamque erga se humanitatem grata recordatione prosequitur.

Atque hic quidem nollem Te suspicari me Tibi officiosis blandiri verbis: quod quum ab honesto quovis proboque homine, tum ab animo quoque meo quam longissime alienum est. Non Tibi assentor, egregie PRAESUL: *Tua ipsa virtus, quae tanta est, quanta Praesulem decet vere summum, latere nequit: sua ipsa luce se prodit. Quantus sis, quanti valeas, vel me tacente, loquuntur omnes. Una de Te omnium opinio, una sententia est, una vox. Sunt in omnium oculis quae gessi-*

Digitized by Google

sti, jure igitur in omnium ore. Liceat igitur mihi quoque, liceat, quaeso, quod publici juris est; quaedam scilicet de Te poetice loqui, et quod jamdiu in animo est, aliquando parere.

Istud itaque exiguum carmen alternis numeris scriptum, quod non consuetudinis ratio, aut prava assentandi libido, ut plerumque fit, sed ingenuum peperit Tibique deditum cor, non ideo Tibi mittere consilium cepi, ut Tuarum virtutum, quae nunquam satis laudari possunt, praeco fierem, sed ut aliquo saltem modo meo erga Te muneri satisfacerem. Utinam praestantius aliquid Tuisque auribus dignius (quod maxime vellem) campestris musa Tibi tradere valuisset: quae quidem, utpote suae infirmitatis conscia, nescio quo rubore suffusa se Tibi pavide sistit, suumque, quodcumque sit, munusculum ut benignus excipias, sibique ignoscas supplex exorat. Sed jam hoc idem mihi de Te Tua illa humanitas spondet, quae et alia ejusdem musae conamina tam benevole ac liberaliter habuit, ut

Digitized by Google

tanti favoris muneri nullum esse possit grati animi officium par. Hoc novum igitur illius opusculum habeas, quaeso, Amplissime Praesul, in novum erga Te venerationis meae testimonium, illiusque animi pignus, qui quum jam Tuus esse coeperit, totum iterum se Tibi dicat ac vovet.

Illud interim mihi magno solatio sit, quod olim Jacobo Sannazario:

Rarus honos summo se Praeside posse tueri;
Rarior a summo Praeside posse legi (*).

(*) Actius Syncerus Clementi VII. Pont. Max.

Digitized by Google

ELEGIA

Digitized by Google

11.D

Digitized by Google

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.
Gen. cap. XXVII. v. 27.

Surge, anima, insoliti speciem mirare vireti:
  Laetaque jucundis pascere imaginibus.
Vix hortum ingressam capiet te mira venustas,
  Luminibusque dabit pabula grata tuis.
Est Florae locus iste sacer; Floramque secutae
  Hospitium Charites hic posuere suum.
Comiter excipiens meritos, arcensque profanos
  Vestibulum servat de tribus una soror.
Ecce tibi custos blando venit obvia vultu,
  Seque tuam praebet qua lubet ire ducem.
Ergo age rumpe moras; avidisque ingressa tuere
  Mecum oculis quidquid pulcrius hortus habet.
Oh quales triplici consurgunt ordine plantae!
  Quot fructus quaevis, quot gerit arbor opes!
Aspicis ut platanus circum sua brachia pandat,
  Et socia elato vertice ligna ferat?
Aspicis ut frondes putrescere nescia cedrus
  Explicet aeternas, perpetuumque decus?
Aspice quot laurus, quot praebeat aemula myrtus
  Serta coronandas implicitura comas.

Digitized by Google

Alta salix fagusque patens, alternaque utrique
  Fraxinus umbrifero tegmine vestit humum.
Aspice quam varias peregrino e semine plantas
  Itala ab extremo littore cymba tulit.
Omne quod Indus habet, quod Persa, quod Afer, Arabsque,
  Hic viret arboreum luxuriatque genus.
Non tamen hic taxus, nec adest funesta cupressus:
  Ominis infausti quaelibet arbor abest.
Plurima pampineos vitis curvatur in arcus,
  Et quod jam peperit, vix grave gestat onus.
Nec tantum indigenos omnis dat vinea foetus:
  Est alienigenas quae dare gaudet opes.
Scilicet insitio, ramum qua ramus adoptat,
  Efficit, ut vitis non sua dona ferat:
Naturam siquidem, succos oblita priores,
  Palmitis inserti cogitur illa sequi.
Rivulus illimis purisque argenteus undis
  Foecundo exiliens pumicis e gremio
Hortum ambit, lenique fluens per saxula lapsu
  Gramina roranti munere amica rigat.
Quam multus piscis pinnis caudisque coruscis
  Se se agitat vitreis irrequietus aquis!
Hic natat adverso, fluvio natat ille secundo.
  Et forma et vario quisque colore nitet.
Hoc avis in speculo ludens plaudentibus alis
  Se videt, et sociam credula adesse putat;
Alituumque genus vocat in certamina cantus,
  Dum ciet arguto gutture dulce melos.

Digitized by Google

Hic per mille tubos, per mille foramina rumpens
Mille parit ludos fons salientis aquae.
Illic grata tibi dat laeve sedilia marmor,
Inque suo mollis te capit herba sinu.
Quae pario simulacra vides spirantia saxo,
Nobile phidiacae dixeris artis opus.
Oh decor! oh formis simulacra simillima vivis!
Muta licet sileant, ora loquentis habent.
Multiplici ridet tellus variata colore,
Datque novam florum gratia progeniem.
Hic amaranthus olet, nunquam peritura venustas,
Hic rosa purpureum vix aperit calicem.
Inde hilares vernant violae, dispersaque passim
Puniceis canent lilia mixta crocis.
Illic narcissus, ferrugineusque hyacinthus
Fragrantem exspirant ambrosiamque animam.
Quis numeret flores, quos Ganges, Nilus et Hebrus,
Et quos huc amnis misit amazonius?
Quis numeret, quas forma et odor discriminat, herbas?
Quas varias nomen, quas color ipse facit?
Has veniente die radiis lux aurea solis,
Has abeunte juvat roscidus imber aquis.
Herbarum florumque simul per inania caeli
Quam redolet toties multiplicatus odor!
Oh species horti nullo violabilis aevo!
Nullas ille minas, damnaque nulla timet.
Non illum boreae violento turbine laedunt
Flamina, non illum grando inimica terit.

Digitized by Google

Non illum glacies, non sirius ardor adurit,
  Non illum horrisoni fulminis ira ferit.
Non hic inficiens herbas dat sibila serpens,
  Nec petit incautos vipera dente pedes.
Non hic accipiter saevit, non horrida bubo
  Tristia funereo carmine fata canit.
Quidquid habet natura parens pulcrique bonique,
  Hoc large effudit prodigiosa solo:
Ipsaque perpetuo florescens vere venustas
  Mille voluptates, gaudia mille parit.
Oh horti species, hortis, quos fabula finxit,
  Clarior Hesperiis, clarior Elysiis.
At quid tam mirum spectas stupefacta viretum,
  Quidve, anima, his haeres longius illecebris?
Altera te capiat visae sub imagine formae
  Mortali species non referenda sono.
Praesulis angelici, clementia Caesaris urbi
  Quem dedit adriacae, gloria te capiat.
Hortum deliciis plenum caelestibus, hortum
  Spectabis, dius quem sibi sevit amor.
Hunc anima, hunc hortum mirare, et nescia foecis
  Terrenae e puro gaudia fonte bibes.
Quaelibet est Olli virtus; sed prima nitescit
  Candida in ardenti pectore religio.
Hujus amore calens primaevo a flore juventae
  Se puerum tantae tradidit Ille duci.
Hinc Illum divina suis excepit in ulnis
  Religio, et vitae facta magistra piae.

Digitized by Google

Munera naturae, felicia messis opimae
  Semina, in immensas crescere fecit opes.
Hac duce quot magnis fuerit virtutibus auctus,
  Mens nisi percipiat, dicere lingua nequit.
Obruit infirmos oculos lux tanta; neque ullum
  Me rapuit majus splendidiusque jubar.
O quam dives alit docilem sapientia mentem!
  Oh quae simplicitas cordis et integritas!
Quam teneros generosa fovet clementia sensus!
  Quanta animi bonitas! quae sine labe fides!
Illius in labiis diffusa est gratia; candor
  Est animae in vultu, mellis in ore favus.
Cauta pedes actusque suos prudentia firmat,
  Et quidquid ratio cogitat, illa regit.
Dulcis amabilitas gravitatis amica decorae
  Nescio quid mirae nobilitatis habet.
His pietas majora movet: volat altior astris,
  Atque Dei pennas contrahit in gremio.
Quis referat sanctis quibus ardeat ignibus, aut quot
  Hauriat aeternas ebria delicias?
Immemor illa soli caelo mansura fuisset,
  Ni suus erga homines huc revocasset amor.
Hinc hominum genus omne avidis complexa lacertis,
  Ut natos mater fervida amore, fovet.
Sed magis hos inter quos improba vexat egestas
  Diligit, et prompto sublevat auxilio.
Ulterius ne, virgo, fleas: tibi rebus in arctis
  Sponte aderit praebens obvia dona manus.

Digitized by Google

Scilicet omne aurum, sibi pondus inutile, spernit
  Vir pius, inque inopes fundere gaudet opes.
Nec satis: Ille suas linguae divina loquentis
  Nectare caelesti pascere gestit oves.
Una Illum noctesque diesque fatigat et angit
  Haud unquam obliti sollicitudo gregis.
Nec tantum (quis credat?) onus jam sentit: amanti
  Namque animo nulla est cura laborque gravis.
Ambitio procul omnis abest; quippe auribus illis
  Quidquid alit fastum nomen inane sonat.
Effugit insanos, oditque modestia plausus;
  Quos si forte audit, purpurat ora pudor.
Hos inter plausus unus silet Ille, silensque
  Se meritae immeritum laudis honore putat.
Usque adeo sanam regit una modestia mentem!
  Sic ea mens, larvas spernere docta, sapit!
Hac nulla est virtus major virtute, nec ullum
  Tantae huic virtuti par decus esse potest.
Hunc anima, hunc hortum mirare, et nescia foecis
  Terrenae e puro gaudia fonte bibes.
Iste ferax hortus, quo non est ditior alter,
  Quot bona, quot flores, quot tibi pandit opes!
Plurima in hoc horto virtutum exempla videbis:
  Flosque tibi virtus singula pulcher erit.
Plurima in hoc horto tibi se spectacula sistunt:
  Plurima quae stupeas, quaeque imiteris habes.
Volve memor tecum visae decora inclyta formae;
  Ante oculos semper sit locus iste tuos.

Digitized by Google

Sint vitae documenta tuae, sint dulcia menti
  Pabula quae passim mysticus hortus alit.
Collige odoriferos generoso imitamine flores;
  Atque hortus dives floribus alter eris.
Surge, anima, insoliti speciem mirare vireti,
  Et tot amabilibus pascere deliciis.
Hac ego Te, PRAESUL, pinxi sub imagine; at omnes
  Virtutes hortus non capit iste tuas.
Par tamen iste tuis virtutibus esset imago,
  Par etiam votis si mihi lingua foret.
Reddat amor quod lingua nequit: sic una voluntas
  Gratum opus, ingenio deficiente, dabit.
Oh Pater! Oh Pastor Pastorum gloria! Quis Te
  Non omni extollat laude, et honore colat?
Quisve Tibi obsequii, teneri quis pignora sensus
  Deneget? Obsequio par Tibi habendus amor.
Te Deus ipse suo propius dilexit amore,
  Pontificumque sacris praetulit Ordinibus.
Roma tuum mirata decus Tibi plaudit; et istud
  Te meruisse decus gaudet et ipse LEO.
Ille etiam nostris per quem pax fulsit in oris,
  Caesareo clarus sanguine et imperio,
Cujus avis, volucrum regina, patentibus alis
  Vistulae et Eridani littora vasta tegit,
Ille potens, tanto qui te dignatur honore,
  Dat Tibi clara sui signa patrocinii.
Gloria Caesareo major Tibi nulla favore est;
  Hac major tribui laus Tibi nulla potest.

Digitized by Google

Plaudite nunc cives, divino plaudite amori,
Et Regi, ac tanto plaudite Pontifici:
Et vos, o pueri, manibus date lilia plenis,
Lilia quae purus candida poscit amor;
Paciferisque oleae velati tempora ramis
Solvite munifico cantica grata Deo.
Cantica grata Deo geminent sponsaeque virique,
Et geminent laetos compita pulsa sonos.
Sed mihi jam laxae strident sub pollice chordae,
Carminaque ingrato murmure rauca sonant.
Hic tacitam mea dextra lyram, clarissime PRAESUL,
Abjicit ante tuos officiosa pedes.
Eveniant majora Tibi: citharamque resumens
Forsitan alterius carminis auctor ero.
Centum alii interea vates Tibi plura daturi
Laudes ore tuas uberiore canant.

Digitized by Google

125



CF990945556

NEL LIBRO

CAPR..Misc.801.3.

TSA0973431

Martinelli, Arcangelo

*Sonetti del ch. sig. professore d. Arcangelo Martinelli dedicati dal rev. sig. proposto d. Cesare Cesana a monsignore Filippo Artico ... . - Milano : da Placido Maria Visaj, 1836. - 16 p. ; 21 cm

1836

Digitized by Google